

31.

1638 5 28

Ex Ethicâ  
de  
**JUSTITIA,**

*Duce Deo & Praside*

**M. MICHAELE WENDELERO,**

Facult. Philos. Adjuncto,

**ANDREAS SEIFARTUS,**

Hallensis Saxo,

*publicè disputabit*

ad diem 8. Decemb horis antemeridianis

*In Auditorio minori.*

WITTEBERGÆ,


Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

Anno M DC XXXVIII.

Das ist  
gewiß  
was man  
haben will  
wird das  
Christliche  
wird ist in  
Wort alle  
in dem  
Jochig zu machen

66





## Continuatio.

**P**remia & pœnas Democritus duos Imperiorum Deos vocat. Ne injuriâ. Nam quàm diu præmia bene meritis & pœnæ male meritis justè statuuntur, tam diu Respub. firmis stat talis. Sunt Patroni & Diututelaes, quibus se thura decenter incendantur, tuti sub eorum presidio, tanquam sub firmissimo clypeo, delitescimus adversus quoscunq; hostium insultus & bellicas machinas. Quantum verò respectum censebimus deberi horum Presidi Justitia, pœnas & præmia distribuenti? Sanè hæc est illa virtus, quæ, ut Sol in cœlo reliquas stellas, virtutes reliquas supereminet omnes, tantosq; utilitatis radios undiq; diffundit, ut etiam Poetarum Mercurium & Dianam plurimis officiis fungentes, longissimè antecedit. Huic dum presentes pagellas consecramus, summum Justitiæ Presidem, Deum invocamus, ut cœlitus bis nostris laboribus incrementum largiatur.

## Præcepta.

1. Justitia est virtus, quæ servat mediocritatem circa distributionem rerum externarum, ut & bonorum externorum permutationem.
2. Dividitur in Distributivam & Commutativam.
3. Distributiva est virtus, quæ servat mediocritatem circa distributionem bonorum & malorum externorum.
4. Hæc rursus dividitur in Remuneratoriam & Punitoriam.
5. Remuneratoria est virtus, quæ servat mediocritatem circa distributionem præmiorum.
6. Punitoria est virtus moralis, quæ servat mediocritatem circa pœnarum irrogationem.
7. Commutativa est virtus, quæ servat mediocritatem circa rerum commutationem.

A 2

8. Oppo-



8. Oppositum ejus est injustitia.

9. Injustitia est vitium morale, quod peccat in excessu & defectu circa distributionem rerum externarum, ut & bonorum externorum permutationem.

*Explicationes.*

1. §. Justitia dicitur à Jure, quod est à jubendo. Nam quicquid Magistratus & leges jubent, hoc jus est, & qui huic obtemperat justus, justitiâque præditus adpellatur. Secundum Logicos, quibus illud prius, non quod habet pauciores syllabas, sed in quo intellectus noster primùm invenit potentiam obedientiam recipiendi notionem secundam, jus à justitiâ. Hoc enim denominat justum à quo jus, justitiæ soboles.

2. §. Accipitur variè: 1. generaliter pro umbrâ justitiæ, quæ in brutis cernitur. 2. Theologicè pro justitiâ in sacro codice descripta. 3. Oratoriè pro officio, quod defunctis adhibetur. 4. Abusivè pro æquali distributione, quam latrones in raptis bonis distribuendis observant. 5. Tandem Ethicè pro eâ justitiâ, quæ in communi hominum societate colitur.

3. §. In definitione non de universali, sed particulari, distinctam virtutis speciem absolvente, loquimur. Universalis est obedientia erga omnes leges ad civilis societatis conservationem directæ. Universalis audit, quòd sub se instar gubernaculi omnes virtutes contineat. Hinc vocatur legalis justitia, quia se extendit ad omnes leges, in quibus virtutum præcepta comprehenduntur. Nam leges sunt præcepta virtutum. Sic appellatur justus, qui legibus & juri vivit, injustus qui non obedit.

4. §. Fundamentum distinctionis (*est distinctio equivoci in sua equivocata*) Justitiæ in Universalem & Particularem est, quòd injustus duobus modis accipitur, *universaliter & particulariter*. Generaliter is injustus dicitur, qui legibus, qualescunque illæ fuerint, debitam denegat obedientiam. Specialiter injustus dicitur, qui est iniquus externorum bonorum distributor, hoc est, qui uni plus, alteri minus, quàm ei debetur, distribuit. Quot modis dicitur injustus tot etiam justus. Universaliter is, qui leges observat: particulariter is, qui est æquus in bonorum distributione, & tantum, quantum debetur, unicuique tribuit.

§§. O.



5. §. Objectum hujus sunt *omnium legum ac virtutum actio- nes*. A reliquis differt ratione. Hæ enim considerantur absolute & comparate. Priori modo, ut sunt habitus, qui animum perficiunt: posteriori, quatenus erga alios exercentur. Hoc modo insigni justitiæ titulo insigniuntur.

6. §. Oppositum est universalis Injustitia (Græcè *ἀνομία*) quæ est transgressio legum societatis humanæ turbandæ causâ. Hoc unicum extremum extremorum duorum locum obtinet, quia injustus in utroque simul delinquit, uni nimium, alteri minus, quam debetur, tribuens. Pugnans cum universali justitiâ omnium virtutum extrema tam in excessu, quam defectu, quatenus ad bonum publicum minuendum, aut quocunque modo labefactandum referuntur.

7. §. Tantum de universali, cui in doctrinâ de virtute in genere commodus locus assignari poterit. Nos ad particularem, peculiarem virtutis speciem constituentem, pergimus. Particularis dicitur, quia tantum spectatur in justâ rerum externarum distributione aut commutatione respectu ejus, erga quem exercetur. Hinc dicitur bonum alienum quatenus consideratur secundum usum & praxin. Justitiæ enim primarius scopus est, proximum juvare, & ad Reipub. utilitatem tendere. Indigitatur etiam *Bonum proprium*, quatenus consideratur, ut habitus & virtus, quæ est penes habentem. Appellatur *Equalitas*, quia in dando æqualitatem servat. Objectum sunt externa tam mala, quam bona, fortunæ ludibrio exposita, in quibus expetendis modum excedimus, adeoque peccamus. Oppositum est injustitiâ particularis, quæ in distribuendis & commutandis bonis justitiam violat. Alias *aviditatis*, item *πλεονεξία* id est plura habendi cupiditas.

8. §. Hæc dividitur à nobis in præceptis in *Distributivam* & *Commutativam*. Fundamentum divisionis suggerit geminum objectum, videlicet *rerum distributio* & *permutatio*. Adde, quod actionibus personis, proportione, adeoque tota essentia differant & merito à se invicem distinguantur. Distributiva in distribuendis bonis & malis externis observat personarum dignitatem rerumque æqualitatem, quæ cuique pro suo merito debetur. Hujus tenæ objectum & proportionem, quam personarum dignitas innuit.



Objectum sunt bona & mala, hoc est honores, dignitates, præmia, pecunia, officia, labores, pœnæ, castigationes, supplicia hisq; non dissimilia

9. §. Proportio secundum superiora gemina est, *Arithmetica* & *Geometrica*. In *Geometrica* consideratur non absolute rerum æqualitas, sed certo respectu circumstantiarum aut personarum, quib; aliquid tribuendum est, aut rerum, quæ veniunt distribuendæ. In *Arithmetica* simpliciter spectatur æqualitas rerum & personarum, nullo habito respectu sive ad personarum statum & dignitatem, sive ad ipsas circumstantias.

10. §. In *Distributivâ Geometrica* locum invenit. Nam quia non omnium rerum & personarum eadem est conditio, *Distributiva Justitia* dignitatem rerum & personarum ita inter se comparat, ut una alteri congruat, distribuenda ita partitur, ut æqualia æqualibus, inæqualia inæqualibus attribuantur. Sic in spoliis distributione plus duci, quàm Capitaneo, assignandum est, & plus Capitaneo, quàm militi gregario.

11. §. Oppositum est *Injustitia* illa, quæ præmia & pœnæ inæqualiter distribuuntur. Huc pertinet *μεροσποληψία*, quæ non meritorum, sed aliorum accidentium intuitu, ad præmia & pœnas inæqualiter distribuendas movetur.

12. §. *Distributivam* iterum ob duplex objectum, nimirum, præmium & pœnam in *Remuneratoriam* & *punitoriam* dispescimus. *Remuneratoria* fit per legitimam præmiorum, hoc est, honorum & opum distributionem. Ad hanc requiritur, ut virtutis actio præcedat, cum justus non sit, qui indigno præmia conferat. Deinde præmia repondeant meritis. Gradus enim meritorum augent & minuunt gradum præmiorum. Hinc quò excellentius meritum, eò excellentius debet esse præmium.

13. §. *Punitoria* fit per legitimam pœnarum irrogationem. Hic opus est, ut factum ipsum 1. sit turpe, quia honestæ actiones pœnam non merentur. 2. Ut pœna delicto in omnibus respondeat. Hoc enim justitiæ modus exigit, ne plus minusve supplicij, quàm par esse decet, alicui imponamus.

14. §. *Justa distributio* addiscitur ex comparatione terminorum, hoc est, personarum, inter quas, & rerum, quarum facta fuit

fuit distributio. Fit autem hæc comparatio, vel *in singulis terminis*, vel *in tota proportione*. Hæc iterum vel *directè*, vel *alternatim*. Directè ubi primus terminus cum secundo, tertiusq; cum quarto comparatur: v. g. quando Ajax & Ulysses comparantur cum præmiis, quæ eis debentur. Ex hac comparatione intelligitur, num hæc præmia respondeant meritis & dignitatibus personarum. Alternatim fit mutatis terminis, ubi primus cum tertio, secundusque cum quarto confertur: ut si Ajax comparatur cum Ulyssè, ejusque præmium cum præmio Ulyssis. Ex hac comparatione apparet, quòd, ut persona personam dignitate, sic etiam præmium præmium superare debeat.

15. §. Posterior comparatio instituitur cum terminis conjunctis, ubi totum cum toto, hoc est, simul & persona & res cum aliâ personâ ac re comparatur. Sic Ajacem ejusque præmium cum Ulyssè ejusque præmio conferimus. Hæc comparatio est instar examinis justæ atque injustæ distributionis. Nam ubi post factam distributionem deprehenditur ratio totius ad totum, quæ antea partis ad partem, indicium est justæ distributionis secundum Proportionem Geometricam factæ. Contrà injusta deprehenditur illa, in quâ non habetur ratio dignitatis personarum aut pretij rerum.

16. §. Commutativa in rerum commutatione servat æqualitatem, atque in rebus permutandis inæqualitatem corrigit. Hinc *Correctiva* vocatur. Per æqualitatem hic loci notamus Arithmeticam proportionem, quæ, seposito personarum respectu, simplicem rerum æqualitatem attendit, ita, ut æqualitas non ex quantitate, sed dignitate & caritate, non saltem ex re ipsâ, sed etiam ex officio, labore, & arte, quæ rei inest vel adest, æstimeretur.

17. §. Objectum sunt *omnes res commutanda*, imò ipsæ rerum commutationes & contractus. Circa objectum tria sunt notanda: *Contractus natura*, *contrahendi modus* & *contradictionis medium*. Contractus est mutuus & honestus consensus duorum, vel plurium de re aliquâ legitime transferendâ, vel quoad usum, vel quoad dominium, vel quoad obligationem.

18. §. Di



18. §. Dividuntur in *spontaneos* & *invitos*. Voluntarij fiunt inter scientes & consentientes: ut emptio, venditio, mutuum, commodatum, fidejussio, depositum, locatio, conductio. Inviti fiunt nobis vel volentibus vel ignorantibus. Hi vel clandestini, vel violenti. Clandestini in occulto fiunt nobis planè ignorantibus: ut furtum, adulterium, veneficium, servi corruptio, abductio, cædes per dolum illata. Violenti fiunt nobis scientibus, sed tamen præter nostram voluntatem, ut carceres, vincula, injuriosa verberatio, violenta mors, vulneratio & mutilatio corporis, rapina, maledicentia & opprobrium.

19. §. Modus consistit in mutuâ rerum inter se collatione, ut quantum una alteram vel dignitate vel pretio superat, tantum in altera parte vel addendo vel detrahendo compensetur: ut si mercator & agricola inter se permutent pannum & triticum, & una panni ulna pro uno floreno, unusque tritici modius pro duobus florenis veneat, in toto contractû quinque modis decem ulnis respondebunt.

20. §. Medium contractûs pendet vel *ex naturâ*, vel *hominum instituto*. Naturæ medium est publica rerum æstimatio Res enim autem rebus ante nummorum inventum conferebantur, factâque collatione æstimabantur, ut hinc justa fieret permutatio. Medium ab instituto est nummus, beneficio cujus omnes res mensuramus.

21. §. Oppositum est injustitia Commutativa, quâ vel iniquum pretium rebus imponitur, vel minus, quàm decebat, pro rebus solvitur: Item si merces corrumpuntur, aut iniquæ mensuræ & pondera ad merces adhibentur. Differentia Distributivæ & Commutativæ ex dictis est manifesta.

22. §. Hæc doctrina suggerit plurima Corollaria:

I. *Esse admodum difficile justum esse.*

Nam justum esse non est simpliciter ea agere, quæ justa sunt, sed eo animo consilio & proposito quo oportet, & quemadmodum ipsa virtus requirit. Hoc est tantum ejus, qui habitu justitiæ præditus est. Habitus verò diligenti ac crebro exercitio, longo tempore usuque opus habet.

23. §. II. No



23. §. II. *Notitiam justi atque injusti esse difficilem.*

Nam, quæ in legibus comprehenduntur, non sunt simpliciter jus ipsum: sed jus, & quæ justa, magis consistunt in usû & accommodatione legum ad singulorum actiones, quàm in verbis. Leges autem per accidens tantùm jus continent, quatenus ostendunt, quo pacto justè & rectè sit agendum. Facile quidem est, leges cognoscere, sed secundum eas vitam instituere aliorumque errata & mores corrigere, est difficillimum. Accedit, quòd non semper, nec apud omnes eadem sint jura. Variant enim pro temporum ratione & hominum varietate.

24. §. III. *Justitiam neq; circa distributionem bonorum animi, neq; bonorum corporis versari.*

Non prius, quia circa illa bona non possumus peccare in excessu, cum nemo possit nimium virtutis aut eruditionis & similium animi bonorum habere.

Non posterius, quia nemo de suâ sanitate, pulchritudine, aut robore alicui aliquid communicare potest.

25. §. IV. *Justitiam non posse exerceri erga Magistratum & parentes, neq; erga sceleratos, sed reliquos media conditionis homines.*

Non erga Magistratum & parentes, quia his omnia debemus: non erga sceleratos, quia illis ob malitiam planè nihil debetur, sed tales, erga quos in distributione & communicatione externorum bonorum & malorum possumus esse vel justus, his sit tantum, quantum debetur, tribuimus: vel injustus, his ubi plus vel minus, quàm debetur, offerimus.

26. §. V. *In iniquâ distributione potius distribuentem, quàm accipientem esse injustum.*

Nam principium injustæ actionis non ab accipiente, qui tantùm est patiens, sed distribuente dependet. Deinde, qui plura, quàm debet, distribuit, voluntatem habet liberam. Hæc libertas non est in accipiente, quia non potest accipere, quantum vult, sed quantum ei à distribuente datur.

27. §. VI.



27. §. VI. Non statim ob actionem unam justam vel injustam aliquem posse dici justum vel injustum.

Nam in omnibus virtutum & vitiorum actionibus præcipue spectatur animi voluntas, agentisque propositum, ita, ut actiones à scientibus & volentibus perpetratae vel laudentur vel vituperentur. Sic qui volens & sciens depositum reddit, aut non reddit justus vel injustus dicitur, non qui invitus. Hinc distinguunt Ethici inter *justè agere* & *justa agere*. Justè agere est ex habitu virtutis agere, ea quæ justa sunt. Sic soli justus agunt justè, sicque justitia est habitus justè agendi. Justa agere est facere id, quod legibus est consentaneum. Sic justa agit non tantum, qui ex habitu, sed etiam qui vel casu & fortuito, vel temerè & sine certo consilio & proposito, vel per ignorantiam & simulationem, vel invitè, vel coactè agit ea, quæ justa sunt.

## QUÆSTIONES.

### *Questio Prima.*

Utrum Justitia sit causa efficiens legum  
num verò contrà?

1. §. Utrumque invenit locum, diverso tamen respectu, cum quædam causa juxta Canonem Philosophicum sibi invicem sint causa. Igitur sciendum est, tres esse hominum circa leges occupatorum ordines: Videlicet *Inventores*, qui leges præscribunt: *Judices*, qui negotia secundum leges præscriptas & constitutas definiunt, pronuntiant & judicant: *Subditos*, qui præscriptis legibus obtemperant & secundum illas actiones suas conformant.

2. §. Respectu inventorum Justitia est causa efficiens legum, quia legislatorem oportet fuisse justum & prudentem, quòd aliàs leges ferre non potuisset. Ergò ex habitu justitiæ, quem in legislatore præsupponimus, leges deducuntur, adeoque justitia commodè causa efficiens legum dicitur. Respectu judicum & subditorum lex est causa efficiens justitiæ. Nam Judex in judicando legem spectat, secundum quam, tanquam ad lydium lapidem, omnia veniunt examinanda. Pari modo & subditi actiones suas ad legem, ut normam, componunt, secundumque illam exercent justitiam.

sticiam. Hinc sequitur, legem esse causam efficientem justitiæ in  
judicandis sententiis factisque subditorum. Summatim: *Justitia  
est causa legum ferendarum. & leges latae existunt justiarum actio-  
nam cause.*

*Questio Secunda.*

**An Injustitia universalis uni alicui subjecto  
simul & semel inesse possit?**

Negatur, cum per universalem injustitiam omnia vitia, quæ  
planè inter se sunt contrariæ naturæ, ita ut se destruant, repræsen-  
tentur. Sic timiditas pugnat cum audaciâ, intemperantia cum  
stupiditate, profusio cum avaritia, & sic consequenter. Quæ autem  
sunt pugnantis naturæ, non in uno, sed in pluribus ac diversis sub-  
jectis subsistunt. Justitia autem universalis in uno aliquo sub-  
jecto, certo tamen respectu & gradu, potest reperiri, quia bonum  
bono nunquam est contrarium.

*Questio Tertia.*

**Utrum omne justum sit simpliciter  
justum?**

1. §. Non rarò in Repub. videmus quædam admitti, vel etiam  
constitui, quæ cum naturæ bono pugnare videntur, & simpliciter  
considerando, aliter constitui possunt. Suspendium iniquum vide-  
tur, quòd nulla sit proportio inter pecuniam & vitam, adeoque  
nec inter delictum & pœnam capitalem. Furi jus naturale  
non decernit pœnam capitis, sed in genere tantum, furta esse pu-  
nienda. Jus recens addit circumstantiam probabili ratione de-  
finitam, quòd, crescentibus delictis, pœnæ exasperandæ sint.

2 §. Ergò quæsitum negandum. Non enim omnia, ut vi-  
dimus, quæ in Repub. admittuntur & constituuntur, absolutè  
sunt justa, sed secundum quid, quatenus sanciantur vel ad tur-  
bas & seditiones devitandas, vel ob publicam ipsius reipub. sa-  
lutem,

B 2

*Questio*

*Questio Quarta.*

Utrum is, qui sibi minus tribuit, quàm alijs,  
sibimetipsi faciat injuriam?

Negatur. Nam injuriam facere propriè significat alterum lædere contra læsi voluntatem. Qui in distribuendo minorem partem sibi tribuit, non contra suam voluntatem, sed volens facit, quia in hujus potestate est, æqualem cum cæteris sibi partem tribuere.

*Questio Quinta.*

An deterius sit injusta facere, quàm  
pati?

Affirmatur. Quicquid enim fit cum certâ malitiâ, est deterius eo, quod fit absque malitiâ. Injusta facere fit cum certâ malitiâ & pati injusta absque malitiâ. E. Major est certa. Minor patet. Nam, qui injusta facit, volens facit: qui injusta patitur, invitatus patitur. Ut interim nihil dicamus, quòd injusta faciens alijs sit involutus vitii, utpote odio, livore, cupiditate v'ndictæ &c. Injusta patiens patientiâ, lenitate & tarditate ad iram est præditus, adeoque magis cum scriptura sacrâ & probatis exemplis piorum in crucis scholâ viventium convenit. Hinc concludimus, injusta facientem esse deteriolem mala patiente.

*Questio Sexta.*

Num is, qui justitiam exercet in magnis  
rebus, eandem in minimis negligere  
injustiq; aliquid committere  
queat?

Negamus. Virtus enim una sibi ipsi non opponitur, neque vitium necessarium est consequens ullius virtutis. Ergò qui justitiam exercet in parvis, non potest esse justus in magnis, & qui justus est in magnis, injustus in parvis evadere nequit.

*Questio*

Num nobiles mitius puniendi, quam  
plebeji?

1. §. Magni ponderis in Ethicâ est hæc controversia. Hanc putamus posse componi sequentibus distinctionibus observatis:  
1. Distinguiamus inter pœnam *divinitus determinatam* & pœnam *arbitrio Magistratus relictam*. Priorem quod spectat, seposito personarum respectu, æqualitas servanda est, cum nulli hominî circa legem divinam dispensare permittatur. Ita pœna homicidij divinitus fuit determinata, Gen. 9. v. 6. Quoad posteriorem, magnorum virorum, qui de Repub. benemeriti sunt, respectus pro rei conditione haberi potest, quod in pœnis divinitus non præscriptis, sed dispensatoriis dispensatio quandoque locum inveniat.

2. §. Distingüendum *inter jus strictum & æquitatem*. Secundum jus strictum nobiles & ignobiles, ut legum prævaricatores, puniuntur: secundum æquitatem distinctio personarum potest fieri, ita ut ignobiles gravius, nobiles in certis delictis pro ratione circumstantiarum mitius puniantur, non *in gratiam nobilitatis*, sed *potissimum in meritorum compensationem*. Ita Saul filium capitis damnatum per æquitatem ad populi intercessionem absolvit. Sic Papirius Fabium, equitum Magistrum, quem omni jure ad securim damnare poterat, liberum pronuntiavit, teste Plinio Decad. 8.

3. §. Hæc tamen æquitas non ad quosvis nobiles, nec ad quævis delicta extendenda est, ne licentia peccandi crescat, & justitia violetur, sed arbitrio Magistratus relinquatur, qui in delictis nobilium, omnibus circumstantiis probè consideratis, illud tantum, quod maxime Reipub. prodest, fideliter exequitur.

4. §. III. Distinguiamus *inter veram ac apparentem æqualitatem, seu delictorum gradus*. Nam sæpè, quæ minimè sunt æqualia pro æqualibus delictis habentur, cum tamen duo si fuerint idem, non sit idem, non quod dissimilis res, sed quod is,

qui facit. Proinde circumstantiæ factum variant. Ergo neque pœna delictis istis respondens utrobique eadem esse potest. Exemplum sit. Si civis interficiat concivem & subditus suum principem, uterque ob perpetratum homicidium subjacet legi de sanguine rursus effundendo, gradu tamen diverso. Civis gladio punitur, subditus quadrigis discerpitur aut in frustra secatur. Ita qui ex scientiâ peccat, æqualis evadit peccanti ex ignorantia: inæquales tamen sunt, si gradus considerentur, quod ex *περὶ ἀγέρας* peccans majori pœnâ afficiatur, quàm qui ex ignorantia labitur. Franci olim Saxones Frisiosq; gravius, tanquam peregrinos, quàm suos populares, puniebant, quod peregrinis in alienâ Repub, minus peccare licebat.

5. §. Eadem graduum differentia ad pœnas nobilium atque ignobilium applicari poterit. Videntur hi sæpissimè eadem committere peccata, a quoque eidem subjacere pœnæ, sed reverà gradu differunt. Ergo etiam pœnæ gradu differentes irrogandæ, & per consequens nobiles interdum mitius, interdum gravius puniendi ignobilibus.

6. §. Itaque Nobilitas & personæ dignitas pœnam & auget & minuit. Auget in delictis illis, quæ in nobilibus & dignioribus deteriora, quàm in ignobilibus, reputantur: in iis, quæ dignitatem vel administrationem peccantis continent: in iis, ob quæ suam consecuti sunt nobilitatem: in iis, quæ sub dignitatis prætextu committuntur: & tandem in iis, quæ in dignitatis dedecus vergunt. Minuit in iis casibus, qui extrinsecus communi consuetudine contingunt.

7. §. IV. Distinguunt inter pœnas corporales & pecuniarias. Nobilis mitius punitur in corporalibus, gravius in pecuniariis. Itaque pauper, qui plus æstimat equum, quàm manum suam, in pœnâ pecuniariâ cum nobili, qui pecuniariam pœnam sæpe curat parum, non est conferendus.

8. §. Siebenthal distinguit inter pœnas arbitrarias & pœnas certis legibus determinatas. Quoad arbitrarias nobiles mitius possunt tractari ex arbitrio judicis, quod pœnas statuta non deter-

determinaverint. Quoad determinatas æqualiter nobilis atq;  
ignobilis punitur, nisi leges suadeant aliud, aliudque doceat loco-  
rum consuetudo.

*Questio Octava.*

Utrum injusta sit ea permutatio, in quâ ali-  
quis volens plus dat alteri, quàm  
ab eo accipit?

Libera permutationes non ex jure, sed arbitrio dantis de-  
pendent. Igitur in his injuria locum non habet, quamvis una  
pars videatur minus accepisse alterâ. Hinc illa apud Matthæum  
(cap. 20.) mercedis distributio non est injusta dicenda.

*Questio Nona.*

An honestas jubeat, ut venditor emtori  
vitium rei vendendæ signi-  
ficet?

Affirmatur. Nam Justitia Commutativa requirit perfectam  
cognitionem in rebus commutandis. Qui autem vitia rei ve-  
nalis reticet, facit hunc ob finem, ut tantum pecuniæ ex-  
torqueat, ac si merx esset integra. Ergo Justitia, cum  
non servetur proportio, violatur.

*Ad*

Ad  
Præstantissimum Dn. Re-  
spondentem,

**J**ustitiam officium quod sit, quàm lata potestas  
Ex praxi Sophia non male scire cupis.  
Maeste tuo genio, maeste hac virtute, Coronâ  
Ex myrtho cinget Pallas amica caput.  
His ego nunc ceptis successus opto secundos,  
Magna feras Patria, commoda mulea Tibi.

Moris & honoris ergò deproperabat  
amico & commensali suo percharo.

Jacob Burub L. L. St.

**F I N I S.**

Wittenberg, Diss., 1634-39


ULB Halle 3  
005 151 511




TA → OL

VDA7







838.

31.

1638 5 28

Ex Ethicâ  
*de*  
**JUSTITIA,**  
*Duce Deo & Preside*  
**M. MICHAELE WENDELERO,**  
 Facult. Philos. Adjuncto,  
**ANDREAS SEIFARTUS,**  
 Hallensis Saxo,  
*publicè disputabit*  
 ad diem 8. Decemb. horis antemeridianis  
*In Auditorio minori.*

WITTEBERGÆ,  
 Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.  
 Anno M DC XXXVIII.

*Das ist  
 gewiß  
 was man  
 haben  
 wußt das  
 Geistliche  
 wenn ist in  
 Welt alle  
 in 17  
 Jauch zu man*

66

